GULIELMUS Pacificus:

SIVE

ORATIO de PACE

FELICISSIMIS

GULIELMI III.

AUSPICIIS

REGNIS BRITANNICIS,
Totique propemodum EUROPÆ

RESTITUTA:

Habita coram *ACADEMIA CANTABRIGIENSI*
In Templo Beatæ *MARIÆ*,

Stativâ Solennis Gratulationis *Feriâ*
IV. *Non.* DECEMB.
ANNO MDCXCVII.

Authore *GULIELMO AYLOFFE*, A. M.
Trin. Coll. Soc. & Academiæ Orat. Publ.

CANTABRIGIÆ,
Typis ACADEMICIS.

TOT tantiſque Bello memorabiliter geſtis, Exercituum ſtrage, direptionibus Urbium, Claſſium incendiis terrâ marique propè fatigatis, reſtitutam denuò (optatum diuturnæ Militiæ pretium) ***Pacem***, fas ſit proferre, fidiſſimam, vigentemque per omnia Regis Inviĉtiſſimi Gloriam enarraturo vires deficerent, multiplici rerum varietati, grandique Argumento impares; niſi celeberrima hæc Frequentia aſpeĉtu undique jucundiſſimo labantem recrearet animum, vetarentque Univerſa Veſtrûm Gaudia noſtro aliquo Timore hodiernos pollui Triumphos; niſi vocem ſpiritumque erigeret egregii Principis laudatio, optima nimirum Eloquentiæ materia, & ſubſidium paratiſſimum.

Date itaque veniam, ſeverioris *Stoæ* Philoſophi, ſi in hâc ampliſſimâ diei Solennitate, ardore inſolito, & pulchro quodam Lætitiæ exceſſu rapimur, attollimur, efferimur, incendimur: Nam cùm, quâ naſcimur aut conſervamur ſinguli, Lucem feſtivam ſemper, atque illuſtrem habeamus, multis profeĉtò nominibus inſigniri, & in perpetuos exuberantis Gaudii Faſtos illa ire merebitur, quæ nobis, quotquot

ad-

adſumus, omnibus, quæ noſtræ univerſim *Britanniæ*, quæ diſſitiſſimis undique Gentibus, totique penè Orbi Chriſtiano renatæ Securitatis *Æra* effulget fauſtiſſima. Ignoſcite, ſi in hoc immenſo Laudum Oceano adeò non ſubſidat Oratio, ut plenis quodammodò velis, & ſecundo vento potiùs ultrò exultet, Rate *Cæſarianâ* ſuperbior, quippe quæ GULIELMUM vehit.

Ecqui enim tam ingratè faſtuoſi, tam inſulsè malevoli, quin ambitioſâ Gratulatione, Plauſuque effuſiſſimo Auguſtiſſimum & *Libertatis* & *Religionis* Vindicem exciperent; niſi quibus pura *Religio*, *Libertaſque* integra (pulcherrima prorſus Cœli Munera) parum cordi ſint? Ecqui enim, niſi quibus Tranquillitas, Salus, Patria ipſa (chariſſima propè mortalibus Nomina) minùs arrideant: Ecqui inquam, adeò lætando modici, laudando frigidi, quin flagrantiſſimis affectibus, & acerrimâ animi vociſque contentione Amantiſſimum Patriæ, Salutis, Tranquillitatis publicæ Parentem proſequerentur, dignum Lauru, dignum Curru, cæteriſque Laudis Inſignibus, & Triumphorum comitatu; niſi Is tantus ſit, qui Triumphos jure poſſit ſpernere; niſi ea noſtra Tenuitas, quæ illorum apparatui non ſufficiat.

Commendet ergo Alios ſplendidior Pompæ magnificentia; Nos Tibi, Auguſtiſſime GULIELME (liceat

ceat

ceat enim quaſi coràm compellare, ſuſpicere, admirari, quem Amoris, quem Potentiæ, quem divino quodam Majeſtatis Numine Orbi huic Literato, Ædique Sanctiſſimæ ſemper præſentem, ſemper opitulantem veneramur) Nos inquam, Tibi, Auguſtiſſime GULIELME, potiores gratiſſimorum pectorum opes totas integraſque, ſtudio, quo poſſumus, maximo effundimus; præſtantiorem animi cultum propenſiſſimâ Obſervantiâ litamus, pientiſſimam utique illam ſubditis Obſequii gloriam, tutiſſimam regnantibus Imperii fidem.

Votivas Alii extruant Columnas; Tuâ dummodò operâ, placido perfruentes Otio *Muſæ Scientiæque* perenniora Tibi ponant Literarum Monumenta, quibus olim æternâ vigeas Memoriâ, & in ultimos Loci Temporiſque terminos inclareſcas, ſemper *Superſtes*, ſemper *Victor*, ſemper *Triumphator*.

Qualis in Negotiis, quantus in Prælio illic legendus, illic audiendus, quaſi totus Conſilio, totus itidem Militiæ vacares, par omnibus Unus idemque *Pacis Belliquue* muneribus?

Qualis quantuſque, inquam, Gentium omnium Linguis Literiſque celebrabere; ſi modò Verbis prædicari poſſit incredibilis illa Indoles, ac divina propè Sapientia, quâ arduas tot Claſſium, Exercituum,

Regno-

Regnorumque curas ſolus expedis, quâ disjunctiſſimos arctis compagibus connectis Populos, & velut Orbis Occidui Anima diffuſa, totam vitali ſpiritu permeans agitanſque Molem, extincta penè Libertatis ſtudia, ſopitoſque diu Virtutis igniculos, propè ipſa Fata, foves, & reſuſcitas; ſi modò numeroſam illam Laudum Tuarum concordiam complecti queat uberrima quævis dicendi Copia; ſi graviſſimam, inquam, eam Auctoritatem, quâ corrigenda Caſtrorum Diſciplina, elatam illam animi Magnitudinem, quâ excitanda miſerè torpentium Inertia, ſaluberrimum illud Probitatis documentum, quo corruptiſſimi Mores medendi, aſſiduumque iſtum indefeſſæ Conſtantiæ tenorem, quo renitentibus, invitiſque ſtabilienda fuerat Felicitas; ſi modò ulla uſpiam Orationis celſitudo, aut Poetarum vigor ſatis aſſequi valeat vividum illum impetum, ardoremque Pugnæ, quo Languentes accendis, firmas Strenuos; quo Tuos hortaris, obvios quoſque ſternis; quo denſiſſimis ubique Turmis involas, intonas, fulguras, Hoſtili ſpecioſior ſanguine, atque ipſis auguſtior Periculis; quo domi foriſque Tui Seculi clariſſimus, exteras Tibi Gentes Admiratione devincis, Amore conjungis, Imitatione ſtimulas, & remotiſſimas quaſque viſendi ſtudio Tibi propiùs allicis, Tuo dudum flagrantes Exemplo, Tuis eminùs vincentes Auſpiciis; quo denuò laborat Annalium fides, omniſque Tibi facilè cedit Antiquitas;

niſi

nisi forsan Majus sit (quod quidem sibi ducit potissimum) discordes, barbaras, inermes *Galliarum* copias conjunctis *Romæ* viribus olim afflixisse, quàm impetitiore Acie, fluxisque Auxiliis firmissimam confertissimamque torrentis Belli molem nuper sustinuisse, fregisse, repressisse.

Explorate autem, si libeat, Veterum Monumenta, Res gestas perpendite, conferte Heroas; & intelligetis probè, GULIELMUM, si Suis satis non clarescceret *Virtutibus*, Alienis quoque *Vitiis* optimum.

Id turbidis ingeniis, id *Philippis*, *Alexandris*, *Juliis*, cæterisque istis egregiæ memoriæ Prædonibus planè Regiis grande & magnificum videatur, sua Servitute opprimere Regna, Bellis vicina rapere injustis, insolescere Latrociniis, Ferro Flammisque miscere omnia, vastare, urere, populari; venales Auro sibi emercentur Triumphos; ingurgitent se Rapinis brevì evomendis; prosperi Sceleris Successu intumescant; cumque mentes moresque penitus exuerint Humanos, Divino propè Nomini, æquatoque Numinibus avidissimè inhient; fruantur illicò, fruantur Votis Magni hi, ut nuncupantur, & Immortales Viri; Expleantur suâ, quam tantopere sitiunt, Gloriâ; confestim abeant in Deos; cognata calcent Sydera; *Tauris*, *Leonibus*, *Ursis*, *Lupis* immisceantur

tur Cœleſtibus; modò Beſtias, modò Monſtra, modò Tyrannos Terris eſſe deſinant.

Suas itaque ſibi res habeant, ſuam Superbiam, ſuam Ambitionem, ſua Parricidia præpotentes iſti Naturæ Domini; Ea Armorum Tuorum, GULIELME, ratio ſit æquiſſima, is fructus pulcherrimus, opitulari quamplurimis, cadentes fulcire, extollere jacentes, Salutem Sociorum, Imperii Tui Dignitatem defendere, graſſanti Libidini modum ponere, temperare Victoriæ, *Pacemque* demum ſummâ Tuâ partam *Fortitudine*, pari *Prudentiâ* tueri.

Tantis nimirum, Tuis velim, Virtutibus excoli, Tuo naſci atque animari Genio oportuit, quem Regna Principem ultrò implorarent feſſa, quem exoratum contuliſſe majus, quàm accepiſſe Beneficium meritò fateri deberent relevata, qui, Fatis indies in grandiora vocantibus, ad altiſſimum veri Honoris Faſtigium tam immenſis paſſibus feſtinaret, qui tutatæ *Belgiæ* Gloriam, conſervatâ *Britanniâ*, promoveret, qui ſalvæ *Britanniæ* ſplendori liberatam adjiceret *Europam*, cumulatis inſimul *Belgici*, *Britannici*, *Europæi* Titulis jure optimo exornandus.

Neque quidem Tibi, REX Invictiſſime, minùs amplos adultæ Dignitatis proventus præmonſtraverat ipſa Stirpis eximiæ ſpes, & Natalium celebritas;

utpote quem Principum Serie longævâ, ramiſque felicioribus ſemper germinante, quem Avis Proaviſque Romani Nominis æmulis, collectiſque in Te Uno tot ingentium Luminum radiis refulgentem manifeſta Cœli indulgentia tandem Terris conceſſerat, emerſurum planè generi Humano Sydus ſalutare, certiſſimum afflicti Seculi Levamen, maximumque Gentis *Naſſoviæ* Incrementum.

Quippe enim, ſive (fato Heroibus ferè proprio) Tibi erudito ſuo Operi *Sobolem* pernegaverit, cùm *Parem* non potuerit, effœta penitus Natura; ſive quod obnixè petimus tantiſper diſtulerit; fatetur ſe per tam elimatam Majorum Seriem, veluti totidem caſtigatioris Curæ gradus, ad ſummum illum Apicem jam provectam, quem quidem tranſgredi aut omninò neſciat aut in quo ſaltem ſiſtere ſibi ſit neceſſe, dum attritas, exhauſtaſque propè in Te efformando vires morâ reficiat, Filiumque demùm effingat excolatque Magno Patre neutiquam indignum.

Siquidem cùm Tu, Juſtiſſime *Ambitionis* Stator, *Paciſque* Arbiter, ad Aſtra ſerus receſſeris, aut æterna Poſteris cœlitus donanda eſt Concordia, aut ex illo ipſo Sanguine, cui præteriti, cui præſentis Seculi Immanitatem uſquequaque fractam debemus, derivandi ſunt, qui afflictis Gentibus Ultores olim ex-

urgant, reprimantque vagam gliscentis Dominationis licentiam.

Cæterùm futuri solicitos anxiosque avocat relevatque hodiernæ Gratulationis recordatio, & diuturni Gaudii fiducia; si enim alternis vicibus, parique fermè passu adversis prospera, turbidis tranquilla soleant succedere, quem alium in finem tam immensæ seculo præcesserunt Molestiæ, nisi ut sævientibus longè lateque *Armorum* tumultibus reversa *Pacis* augeretur gratia, & accederet Gratiæ Perpetuitas? Si Heroicæ Virtuti per angusta atque aspera ad emeritum beatioris vitæ secessum plerumque patefacta sit via, certo certiùs licebit Principi nostro tam innumeris retroactæ ætatis Laboribus exercitatissimo Requiem polliceri solidissimam.

Nec profectò ex Periculis, ex Insidiis, ex mediâ Morte toties eripi poterat, ut populi sui Solatium breve reservaretur; non Difficultatibus, non Curis tot annorum fortiter perfunctus est, ut momentaneo vacuus respiraret Otio.

En ergo Ecclesiam, Senatum, Orbem Britannicum Tuâ ope, REX Serenissime, salvos & superstites, Tuæ invicem Saluti sedulò excubantes; en ergo Te Precibus, Votisque publicis, en Te Fortunis, Custodiis, laterumque omnium oppositu, velut muro septum firmissimo.

Porrò

Porrò autem absit, ut hisce etiam exutus Præsidiis, aut apertos Hostium, aut occultos Civium (pudet dicere) Tuorum impetus possis ampliùs suspicari; cùm infensos quosque animos aut singulari Tuâ fregeris Virtute, aut amicissimos feceris Clementiâ, atque id solum singulis enitendum reliqueris, ut, ex quo pendet communis omnium Salus, fidissimâ omnium Cautione tutaretur.

Funesti enim Belli portas validissimis frustrà obserâsti vinculis, didicitque Dominum nequicquàm extimescere toties à Te emensum, toties triumphatum Mare, si in *Pace Portuque* posito nova Tibi Pericula facessat *Armorum* rabie furentior, Pelagique sævior procellis perditissimorum hominum Audacia, & robustum Scelus: Quasi verò nullus uspiam Probitati tutus sit locus, summæque semper *Virtuti* opponeretut immane quantum aliquod *Vitiorum* Prodigium!

Sentiant autem, & meminerint Perduelles isti teterrimi, si pergant ultrà (quod averruncet Deus) Cœlo quidem ipsi palam Bellum indicere, dum sanctissimum Seculi Lumen, Vitamque toties Miraculis conservatam extinguere infractâ usque conantur pervicaciâ, si pergant Patriæ pestes moliri, si lætissimæ hujus Lucis sempiternam Memoriam Fastis eradere, clarissimumque hoc penitus convellere Imperium

rium eodem Ictu atrocissimo machinentur: Sentiant, inquam, & *Secures* Terræ, & Cœlo *Fulmina* superesse Sicariis, Deumque Optimum Maximum ad Regum Regnorumque *Incolumitatem* acriùs invigilare, quàm ad eorum *Interitum* importunam istam Conjuratorum manum.

Nolebam equidem, nolebam, Auditores, festivæ Feriæ Nubem hanc obduxisse tristissimam, nisi quî sciatis certiùs, quanti ex maturatis Proditorum Consiliis, quanti ex patrato isthoc infando Facinore Vobis redundaturi sint Miseriarum Fluctus; cùm Probos quosque tanto, inter hæc ipsa Gaudia, Horrore permoveat meditatum Nefas; utque ex recenti Tempestatum memoriâ, quas effugistis (heu, quàm penè naufragi!) gratior acceptiorque illucesceret hilaris hic Salutis dies.

Totum itaque proferas Gratulationis & Lætitiæ supellectilem, florentissima quaquaversum *Britannia*; neque enim est, cur non Secunda omnia, & Felicissima semper Tempora, Authore Illo, tibi possis polliceri, qui in hoc communi Bellorum Incendio, Hostiles Flammas tuis longè propulsavit Mœnibus, qui in hâc planè Ferreâ Ætate, Argentea verè tibi recondidit Secula.

Tu

Tu verò, Sanctissima Parens *Ecclesia*, Tu, Alma Mater *Academia*, quas ad sacros suos pedes nuperrimè provolutas, Divinâ propè Voce, fidissimo illo vestræ Securitatis pignore, adeò erexit, firmavit, amplificavit Serenissima Majestas Regia; Vos inquam, potissimos agite Triumphos, atque id curate sedulò, ut tanto dignæ Patrocinio videamini; assiduisque Precibus oret, exoret Altera diutissimam Principi Vitam, quam tandem æternis Altera mandet Monumentis: Diu ergo Academiæ, Ecclesiæ, Reipublicæ, Orbi Christiano vivat, vigeatque auctior indies Gloriâ, Felicitate cumulatior; & *Milite, Duce, Imperatore* GULIELMO solus Major sit *Pacificus*.

FINIS.
